


ΓΕΝΕΘΛΙΟΝ IESULI;

Lusum-fusum

à

STEPHANO DONAVERO RA-
tisponensi.

AD

IMMANUELEM
RECENS NATUM

Στέναγμα.

In' cunis qui ritè nites! nova Gloria cœlI
Eja age tuta quiEs radianti pEctus amorE
Succende/ôhomo-dive GigaS, patris unica proleS
Una salus, spes Una, regens Uno omnia nutU
Salve sancte PUER, salve nostræ aura SalutiS.

HALÆ-SAXONUM
Typis PETRI FABRI

ANNO M. DC. XXI.

Honoratissimorum VIRORUM selectissimæ

QUADRIGÆ

Magnifico, Nobilissimo, & Sapientissimo Domino

EMMERANO LERCHENFELDERO,

S. M. Cæs. à consiliis, Consuli, Synedrii Ecclesiastici Directori, PATRI PATRIÆ in inclutâ & Imperiali RATISBONA gravissimo-meritissimo, MOECENATI, PATRONO, & EVERGETÆ suo, omni pietatis & observantiæ adfectu ævùm demerendo;

Nobilissimo item, Amplissimo & Prudentissimo Domino

PETRO PORTNERO, dignissimo Consuli, felicissimo PATRIÆ PATRI, PATRONO & Promotori, jugiter suspiciendo;

Clarissimo & Consultissimo, Domino

STEPHANO ROSELERO, Syndico meritissimo; Patrimo & Patrono plurimum venerando;

Clarissimo & rerum usu Præstantissimo, Domino


JOANNI BURGERO, Fori patrii & Cameræ Advocato Jurato ac dignissimo; Tutori & Fautori observando;

Omnibus & singulis Magnis ac Electis PROMOTORIBUS *suis*, SACRUM *hoc* SALVATORIS *Genethlion* SACRUM *facit*

AUTOR.

QUADRIGA LECTA! JESULI Genethlion
Benigna, quæso, suscipe;
Sereniore fronte pellege, & pium
Ab-inde nosce pectoris
Professa cultum, Honoris ergò quem libat!
Favoris ob Lubentiam
Abundè præstitam mihi; unde glorior
Et omne deputo in lucro:
VIRIS quòd hisce complacére contigit,
Quibus nihil videt Jubar
Pientius ve doctius, nostra queis
Triumphat alma PATRIA.
Vicem referre sic Ciconiaria
Antiqua nixa Lex jubet;
Parare pura Jusq; Gentium jubet
Brabeia Gratitudinis:
Vel immò sic Jambicum jubet Melos,
O delicatum & innocens!
Adeste vos modò PATRONI! adeste nunc
Faventi mente, plaudite,
JESULOq; bellulo PUELLULO,
Unisonate jugiter!
Benignus ille sic erit, salubriter
Regetq; protegetq; VOS!
Queatis ut diu præesse PATRIÆ,
PATRES, boniq; CONSULES:
Honòra laudis usq; sic adorea
Solo nitescat & polo!

Magnif. Amplit. & Præst: Vestr:arum
Devotissimus ævum Cliens!
Stephanus Donaverus Ratisp.





Væ fuerit belli Genitura & cura PUELLI?
Quis GENITOR, vel Ei quæ fuerit GENITRIX?
Quæ cunæ? & cunas circum quæ turba virorum
Adstiterit? quæ, quapropter &, hæ pecudes?
Immò quis æthereâ sit lapsus ab axe coruscans
Nuncius? & NOBIS quæ bona verba ferat.
MENS mea! MENS gestit superis agitata repente
Flatibus, à FLATU splendida tota SACRO!
Dicere fert; humili deducere singula filo
Sive stylo, versu pandere fert tereti:
Eja age JOVAH juva! mihi res, mihi verba ministra,
JOVAH juva! vireis suffice quæso novas!
Suffice! nam Tua res agitur, Tua Gloria solùm
Quæritur, & soli MUSA operata Tibi:
Suffice materiem sublimi pectore dignam,
Neu mea deficiat vena vel initio.
Sed facis, & facies benè cuncta! precatibus æquus
Tute eris, & facili (quicquid id) aure bibes;
Quippe BONIS semper summè Bonus atq; benignus,
Perpetuo dignus carmine, laude vehi.
Ergò refer mea MENS, mea MUSA referre suesce.
Quæ notat & monstrat PAGINA SACRA Tibi.
PAGINA SACRA (latens Fidei sub tegmine VERUM
Est ubi, quod Ratio prêndere nulla Potest.)
PAGINA SACRA refert Tua quæ cunabula CHRISTE
Taliter, & tali pandit honôra modo:

Rex

Rex fuit invictus, solio sceptroq; verendus,
Armi potens, à summo ordine nomen habens;
AUGUSTO cûi nomen erat, cûi augusta potestas,
Tranquillum Imperium Gensq; togata fuit;
Quo nunquam melior, quo non sapientior alter
Inter Romanos INDUPERATOR erat.
Scilicet à summo stabiliri NUMINE Regna
Est liquidum: REGES pace DEI imperitant:
Scilicet hæc eadem transferri REGNA videmus,
Si Reges peccant in sacra jussa DEI.
Ille volens Regni vireis, animosq; viriles
Explorare, Lares jussit adire suos:
Jussit & indictos quemvis expendere census,
Ut quæ sit Virtus vivida, sciret, Ei.
Publica-Res tanta curæ cordiq; talentum
Pro GREGE, proq; pia promere LEGE suum;
Commissosq; suæ FIDEI curare Quirites,
Tàm belli, pacis tempore quàm placidæ.
Fortè fuit tum stirpe genus DAVIDIS avita
Ducens, VIR bonus & VIR probitatis amans!
Nomine JOSEPHUS, qui motus Principis hujus
Imperio paret, mox itinerq; parat:
Sed parat, & MARIAM vice comparis addere tentat,
Delitium MARIÆ Virginis atq; decus!
Tentat, & ipsum simul obtinet, unde cupiscit
Hanc sibi perpetuo jungere connubio:
Si modò FATA sinunt, & VOTA movère JEHOVAM
Possint, nam VOTIS semper JOVAH favet!
Sed pia FATA sinunt! fiunt sponsalia, votum
Impletur, desponsatur Ei MARIA!

 FATA

FATA canunt VATES rata, si quis pondus inesse
His negat, heu vates est nimium fatuus.
Nec mora nec requies, licet inclementia cæli
Dira sit, & perquàm dura minetur hyems,
Attamen endogredi properant iter, atq; penates
Visere lætantur Bethlemiæ patrios:
At visunt, turresq; vident, & amœna Domorum
Tecta, haud decreti, haud muneris immemores:
Lætitiâ exsiliens SENIOR JOSEPHUS ô! inquit
O multùm salve Terra patrita mihi!
Vos ô Jessææ Bethles salvete penates,
Salvete! & lassos excipite hospitio:
Langvida membra viâ relevate, juvate misellos!
Quos adoperta gelu nimis malè vexat hyems.
Frustra; defessos non hospitium excipit ullum,
Non locus est, nullâ sede sedere datur:
Friget hyems, Hominum cunctorum Gratia friget,
Membra rigent, rerum discolor heu facies!
Saxea corda! feris magis effera pectora! frangi
Nescia, non duras (heu!) miserata vices.
Scilicet esse Homini tam adamantina corda dolendum est,
Quippe Homo sic Homini trux et atrox lupus est!
Angitur hinc SENIOR, casû concussus acerbo;
Cum SENIORE virago angitur & MARIA;
Angoremq; auget pondus quod bajulat alvo,
Et tenerum pignus pectore sub tenero;
Sensit enim magnos Hominem paritura dolores,
Verum Hominem, verum quinequoq; nixa DEUM:
Fœta DEO, flatû sacro, vereq; repleta,
Quod natum ex illâ dicitur inde sacrum!

C

Miratu

Miratur factum rebus stupefactus in arctis
JOSEPHUS, trepidat pectore sollicito;
Res animo dubias modò in hanc, modò versat in illam
Partem, ita ut alternent spesq; metusq; fidem;
Inscius unde gravis sit facta MARIA, maritus
Quis fuerit? quisnam tale patrârit opus?
Secessum tandem tacitè molitur, & illam
Linquere vult, mavult rumpere vincla thori;
Quàm malè tractari per atrocia murmura vulgi
Instabilis, proprium prodereq; opprobrium.
Disuadet tamen in somnis sacer ANGELUS astans
Alloquitur, tali voce vocatq; virum;
Neu dubita SENIOR, MARIAM Tibi jungere vitæ
Dulce sodalitium, virgineumq; decus!
Neu trepida, nec famam Hominum cura, illud enim quod
Gestat ab æthereo Flamine pignus habet;
Pignus habet toti mirabile, amabile Mundo,
Perpetuo dignum Carmine pignus habet.
Quod toties olim sancti optavêre Prophetæ,
Imò quod optavit turba PATRUM toties:
Quod captum superat nostrum, superatq; Parentem
NATURAM rerum: VIRGO PARIT SOBOLEM.
Ante quidem partum, in partu, post deniq; partum
Virgo manens, Virgo non temerata manens.
Scilicet hocce novum est! Nova sunt hæc optima Nobis,
Quæ renovant nostrum pectus honore novo!
His Animus dictis sedatur, & ad meliorem
Ducitur affectum, mitius ut MARIAM
Excipiat, meliusq; sibi conjungat Amantem,
Rebus & in cunctis PATRIS ad instar agat.

Cursu

Cursitat, hospitium solùm desiderat, omnes
Obsecrat, exiguum quò penetrale sieti
Frustrà; vix dantur mapalia vilia fessis,
Vix datur exsili delituisse casâ.
Ponè patet stabulum viridi de cespite structum,
Lanigero jussum serviat ut pecudi;
Succedunt stabulo, quia sic suadebat Egestas,
Et quia poscebat sic glacialis Hyems.
Languida gramineo ponunt sua membra grabato,
Et positi paucos ore cibos capiunt:
Quippe suâ vivunt contenti sorte famemque
Explent, commendant cætera cuncta Deo.
Quippe manû factâ si frendet & orbis & orcus,
Adversum Justos si mala conglomerant;
Justa tamen viget & vivit Mens conscia recti,
Palmæ instar premitur, non tamen opprimitur;
Interea fuerant taciturna silentia noctis,
Plenaq; securæ Terra quietis erat:
Omnia carpebant solito pro more soporem
Bruta, relaxabant pectora Terrigenæ.
Ast somnum non, fessa licet, Maria videbat
Pervigil, exsuperat cura, fatigat onus;
Embryo Matris onus gravidæ, prodire sub auras
Optat, Homoque homines cernere factus havet.
Exorere, exorere ô sol Justitiæ auree Christe,
Nascere Christe, malum triste repelle citò.
Nascere Christe, petite diu multumque cupite,
Omine candidulo, nomine mellifluo:
Pupule belle, Pulle tenelle, ô Pupule pupe,
Humani Generis Pupule delitium.

Eia

Eia ades, eia veni, MENTIS prædulce levamen;
Sospes ades Hospes nobilis! eja veni!
Eja poli rorate meum, rorate paratum
Christiadis *Christum* protinus auxilium!
Nec mora. Virgo *Maria* utero inter vota soluto,
Salvificum populo protinus edit onus:
Divi *parens* hoc edit onus, succedit & Hospes
Ille, nihil quo unquam Terra tulit melius.
Quo nihil in toto jam pulcrius enitet orbe,
Quo majus rutilâ venit ab axe nihil.
Nox Nobis Bona tanta dedit, *Nox* hæc ecce salutis
Janua, *Nox* nostræ causaq; lætitiæ;
Nox quâ nec superis, quâ nec Mortalibus ægris
Lætior ulla fuit, nulla erit assimilis:
Immò vel ante omnes *Nox* felicissima Noctes,
Nobilis ante Deum, nobilis ante Homines!
Umbra vale, peccata valete, valete Tenebræ,
Una mihi *Nox* hæc Lucis ad-instar erit;
Nil cum Justitiâ commune fugacibus umbris,
Nil Lux cum tenebris participare solet.
Quippe beat res eventus, probat exitus acta,
Quæ pia VOTA petunt, non pia FATA negant.
Insuper haud desunt mirandi exstantia partûs
Signa, notant dignis maxima facta cedris:
Plaudit jò cœlum, plaudit simul orbis, & omnis
Altisono plausu dædala Terra salit:
Plaudit Avis pennâ, plausumq; per avia sylvæ
Ducit, mille melos dum philomela canit.
Omnia lætantur, mundi liquidissima ridet
Machina; floret ager, florida prata nitent.

 Evigila!

Evigila, evigila mea *Mens* quodq; nosce recentem
Messiæ partum; nosce, celebra, & ama!
Excipe gratanti plausû, devotaq; vota
Redde, refer tali carmine, laude bea:
Ah tu chare *Puer*! *Puer* ah tu rare salutis
Anchora, cunctorum spesq; decusq; Hominum!
Tuné mihi cernendus ades? dulcissime *Jesu*,
O verus vero de *Patre* nate *Deus*!
Tunè mihi amplectendus ades? ter maxime *Christe*!
O nate à verâ Virgine verus Homo!
Salve terq; quaterq; mihi! *Puer* optume salve!
Christe fave, mage vel vin' vetus illud? Have.
Christe fove servum, qui se Tibi dedicat uni,
Qui sacro Tibi se dat quasi mancipio!
CHRISTE Tibi me junge, mihi Te junge per ævum!
Sic meus es Tu, sic sum maneoquè Tuus.
Junge mihi malas, mihi & oscula blanda marita,
Junge mihi teneras, belle *Puelle*, manûs.
Lumina luminibus Tua junge, illumina Amoris
Mequè Tui radijs *Mens* ita tota micat.
Lumina nam Tua sunt claris mage clara pyropis,
Adficiunt oculos, adficiuntq; *Animas*;
Lumina chrysolithis mage lucidiora coruscis,
Lumina pol miris blanda cupidinibus.
Forma decens Tibi! forma recens Tua vincit Homullos
Omnigenos, formæ gratia mira Tuæ;
Quam si contueor, linquuntur Lumina sensu,
Quam si non tueor *Mens* stupefacta perit:
Os roseum est, Rosa cuî non æqui-parabilis ulla,
Lacteolæquè genæ sunt, niveumquè genu.

Sunt

Sunt aures aurum, frons fons quasi limpidus, omni
Est mentum sine mendo, omnia amabilia!
Omnia membra decóra & honóra profectò *Pueli*
Sunt hujus, fulgent omnia honorificè.
Ast Tu chare *Puer!* *Puer* ast Tu rare quid hoc? quid
Cogeris in rigido ponere membra thoro?
Membra tenella? labellula bella fovére negatur?
Vix datur hoc antrum, vix latebra atra boum;
Vah miseram rerum faciem! vah Fata misella!
Tàm bellum PUERUM ninguida vexat Hyems?
Tàm magnum PUERUM, cœli terræquè potentem
Pauperis hocq tugurI' tàm malè culmen habet?
Vah scelus infandum! stabuli miserabilis antrum
Hunc *Puerum* capere? hunc hâc recubare casâ?
O infelices cunæ! cunæ, atria Regis
splendida, quas altæ condecuêre Domus;
Quas casiæ aureolæ, quas Nardus, quas Hyacinthus
Debuit ornatu condecorâsse suo:
Quas Tyriæ vestes, quas serica vermiculato
Condecuêre suo tegmina texta habitu.
Cunæ, infelices cunæ! quas indica gemma
Quas parium marmor, quasve decebat Ebur;
Quas favus Ambrosius, quas thuriferiq; Sabæi
Tingere debebant rore & odore suo:
Cingere debebat frundens pia Timpora Laurus,
Deq; amaranthæis plexa corolla Comis.
Ast nihil est! nihil est horum, nisi tristis inopsq;
Undiquè pauperies, res quoq; parva domi.
Heu nihil est, tantum sed adest ignobile fœnum,
Fœnum est, heu fœni vix etiam satis est!

Pro molli plumâ fœnum pratense repôstum est,
Pro suavi violâ fœtor & horror adest:
Pro dulci lecto rigidum Præsepe relictum est,
Pro nitidaquè Domo phatna misella patet.
Attamen ô cunæ, ô cunæ bis terq; beatæ
His sine cunctis, dum Fata beata favent!
Fata favent *Vobis*! dum Numine Numen *Jêsum*
Felici capere, & dum retinêre datur;
Jesum syderei quem non capit ardua cœli
Regia, nec terræ machina tota capit:
Jesum quem populi non excepêre, nec urbes,
Qui tamen est populi, est urbis & orbis honos.
Cunæ, ô felices cunæ! quas incolit ille
Servator, Mundi tôtius una salus!
Ille *Puer*, *Puer* ille omnem qui restituit rem.
Nascendo *Nobis*, qui bona cuncta tulit;
Ille *Puer*, *Puer* ille omnem qui sustulit ægri
Pectoris adfectum, qui abstulit omne malum,
O cunæ! in quibus est parvo cum corpore magnus
Maximus imò *Heros*, optimus immò situs:
O cunæ! quibus haud totus certaverit orbis,
Haud quibus astriferi stella corusca poli.
Ecce etiam cunæ; ecce mei præsepia cordis
Hîc sunt, ecce animi scrinia aperta mei!
Belle PUELLE subi, pia templa subire clientis
Dignare, & placidâ me refovêre sinu;
Hîc Tibi cuncta patent, patet intimiorq; recessus
Pectoris, hîc habita, heîc belle PUELLE sede!
Interea *Genitrix* pia, casta, modesta, pudica;
Arripit extemplò lintea dona sua:

Arri-

Arripit, & *Puerum* tenui circumdat amictu;
Et locat in cunas, plurimaq; oscla libat.
Tàm suavi *Puero* dissuavia suavia figit,
Et loquitur tali talia verba modo;
Nate meæ vireis! mea Consolatio *Nate!*
Delitium *Matris*, *Nate Parentis* amor!
Euge Tuos nunc mollieulus sopor occupet artus,
Euge sinas placidâ membra quiete frui:
Eja age bina natent Tua sydera, victa sopore;
Deflectant blandam luminaq; in requiem:
En lectum stravi, lectum Tibi ego ipsa paravi
Mollibus ex violis, puniceisquè Rosis;
En Tete uberibus lactavi, pectore pressi,
En feci *Matris* quæ modò sunt propria!
Tu modò, Tu dormi mî *Nate*, tenerrime Nate!
Grate meo cordi *Nate*, parata quies!
Ah dormi! quid cunctaris? quin lumina claudis?
Quin aliquam requiem belle *Puelle* capis?
En pedibus brutæ pecudes, & poplite flexo
Alludunt mirè *Bos* Asinusquè Tibi!
En calidum adspirant halitum, securus ab omni
Frigore ut esse queas, ore foventquè suo.
En agit excubias sacer *Angelus*, adstat, & omnes
Depellit, cupiunt qui, struere insidias;
En Senior *Josephus* adest! blanditur, & ori
Offert mellito suavia suaviola:
En Tibi suavisonis adsunt concentibus omnes
Atquè melos resonant gutture dulcifluum.
Sed dormit *Natus!* dormit mea cura, meum Cor!
Ah dormit! sua jam lumina claudit enim;

Cura

Cura facesse, procul, procul hinc abscedite fraudes;
Omnia quæ *Nato* noxia, sunto procul!
Irrequieta procul sit carnificina Malorum,
Omnia sint *Nato* jam taciturna meo:
Omnia sint taciturna Deo, dum dormit *Jesus*,
Dum meus *Immanuel* membra quiete levat.
Dixerat; & vix hæc ubi dixerat, ecce coruscans
Aliger, ætheriâ labitur axe citò;
Disrumpit nubes, liquidumque per aëra tranat,
Lætus ut hæc referat nuncia Terricolis.
Fortè sed offendit vigiles in montibus altis
Pastores, ovium queis Nova tanta refert:
Ite citò, citò abite viri, per amœnaq; Bethles
Mœnia jam gressu visite præpropero;
Visite! in humanâ *Salvatoremq;* videte
Carne, novo *Regi* munera ferte nova.
Ite modò, nam vestra placet comitata Lyciscâ
Illi Turba, placet Carmen arundineum:
Ecce Viris gelidus tremor ossa per ima recurrit,
Faucibus hæsit vox, mox steteruntque comæ;
Quos tamen adflictos animis solatur, Eorum
Demulcens tali tristia corda modo.
Pastores, ô vos *Pastores!* mittite sævum
Horrorem, cordis mittite tristitiam;
Non *Ego*, non vestras pecudes dispergere véni,
Non raptum prædam nunc Ego conspicior;
Non ea *Mens*, ea non est inclementia cœli!
Longè aliter, longè res cadet hæc melius!
Véni quippe meram *Vobis* portare *Salutem*,
Dum luxit *Vobis* hora salutifera.

Veni

Veni quò referam nova Gaudia, gaudia *Vobis*
Maxima, per cunctos certa futura Dies:
Gaudia quæ populi de finibus omnibus omnes
Percipient, pulsâ pectore mœstitiâ.
Natus enim VOBIS, VOBIS datus est hodie æthrâ
SALVATOR! Mundi totius una SALUS.
NATUS hic est verus DEUS, est HOMO verus in unâ
Personâ existens, editus ex MARIA.
NATUS ut unus sit MEDIATOR rebus in arctis;
Ipsum interq; DEUM, inter quoq; Nos HOMINES:
NATUS ut adstrueret, quæ Lapsu perdita quondam
Primævo, cuncta ut crimina destrueret.
Vos modò *Messiæ* confidite, fidite *Regi!*
Hoc signum *vobis*, hoc erit indicium;
Invenietis ibi positum in præsepe *Puellum*,
Est prope vestra *Salus*, neu fugite hospitium!
Vix ea dicta dabat, quando Domus inclyta cœli
Panditur, & quando cuncta corusca nitent;
De subito Angelicæ denso velut agmine facto
Labuntur Mentes, ceu glomerantur Apes:
Dant plausum, lætis discursibus aëra complent
Cantu uno, unanimi hoc distichon ore canunt.
Laus sit in excelsis PATRI, laus maxima CHRISTO,
Pax sit humo, FAX sit semper amica Homini.
Interea properant moniti meliora, secuti
Optima, *Pastores* tendere Bethlemium;
Pastores pergrata Deo, pecorique parata
Turba, Bethles intrant mœnia Christigenæ;

Ponè

Ponè vident stabulum, *Puerumq́;* tuentur *Iesum*
Cuncta vident veris consonaq́; Angelicis.
Scilicet est operæ pretium; justumque piumque est,
Et promptè & rectè jussa superna sequi:
Nam VERBI sequitur contemptum debita pœna,
Fatalis sequitur mœror & ira DEI.
Scilicet æternum est, fidum firmumque JEHOVÆ
VERBUM, fraude carens; est fidei indubiæ:
Quæ voluit semper potuit ter-maximus HEROS,
Non potuit falli, fallere nec potuit.
Sed quæ lætitia est *Pastorum*? quis fit & ingens?
Plausus? lætitiæ quæ nova signa novæ?
Exsultant laudantq́; *Deum*! quod tale dedisset
Terrigenis pignus nobile, grande decus!
Iesum concelebrant, illis per & omnia tantùm
Iesus in ore mel est! *Iesus* in aure melos.
Mirantur *Puerum* tàm pulcrum, tamq́; decorum,
Excipiunt cupidè Mente manuq́; suâ:
Mirantur decus immensum, lumenque juventæ
Purpureum, observant omnia mirificè;
Deinde gradûs referunt, repetuntque armenta relinquunt
Matrem cum *Puero*, munia perficiunt;
Persolvuntque Deo grates, quòd tempore tali
Vivere, quòd possint cernere *Divum-Hominem*:
Illos quod tanto fuerit dignatum & honore
Ante alios omnes *Numen* olympiacum.
Interea cita *Fama* volat, non vana & inanis,
Non vanâ populos speque fideque replens;
Nuncia sed veri, memorabilis atque celebris,
Nuncia quòd verè *Christus* Homo genitus:

Quòd

Quòd sit Rex Regis *Davidis* origine Clarus,
Ducat & à priscis nobile nomen Avis.
Quòd populos omnes rectâ ratione gubernet,
Illius & quòd sit dedita *Fama* polo!
Fama volat, seseq; virûm diffundit in ora
Omnium, & *Herodis* tecta superba subit;
Protinus accendens Animum, rabiem ecce Tyranni
Aggravat, extremum quærat ut exitium:
Sæpius inquirens quânam ratione modovè
Tollere de medio posset hunc *Puerum*?
Quei queat opprimere hunc, Regnoq; avertere *Prolem*
Augustam, consciis seque suosque peti.
Semper enim Satanas CHRISTUM, Christumq; professos
Persequitur, bellum MENS pia semper habet.
Ac neu quid fraudisvè dolivè relinquat inausum
Aut intentatum de reprobo scelere;
Dirum Animum in varias partes rapit, omnia versat
Omnes inquè vias se dat ut officiat:
Ora tument irâ, mera fulmina spirat & ignes,
Ut *Puerum* perdat, bella cruenta parat.
Heu fuge! crudelem PUER heu fuge belle Tyrannum.
Regis Idumæi perfida tela fuge!
Heu fuge præsentem mortem, fuge cœpta nefanda,
Eripe Te noxis, eripe Te exitio!
Heu nimis atra dies Patri Matriquè futura!
Heu Hominum Generi, si cadis, atra Dies!

Forté Magi tùm transibant per compita, ducti
Exortu stellæ luce serenisferæ:
Hos interceptat mirâ arte, astuq; bilingui
Rex, simul inceptat talia verba loqui;
Dicite Vos Comites, ô vos Sapientiæ ocelli
Dicite! quæ tantæ, quæ pia causa viæ?
Quònam iter endogredi vultis? quod Numen adegit
Vos, quodnam vestri propositum est Animi?
Dicite; num dubiis erratis passibus? aut num
Frustra est? quod jam Vos urbs Solymæa videt?
Dixerat: hi contra dixerunt, ô bone *Rex*! non
Non certè *Nos* hùc devius error agit;
Sed magè consilio venerandi *Numinis* urbem
Hanc petimus, Regem quærimus immò novum:
Quærimus ut digno decoremus munere, Regem,
Monstravit *Nobis* ceu nova stella viam!
Quærimus hunc Animis concordibus, inq; reperto
Læti erimus, *Nobis* est ea cura modò.
Talibus obstupuit *Rex* dictis, ocyùs omnes
Accersi Doctores jubet atquè Sophos;
Hos jubet effari, queis sit quærendus in oris
Messias, hic vel *Rex* ubi sit genitus?
Hi mox Annales visunt, occurrit in illis
Hic locus, hoc dictum Vatis honorificum:
Tu Bethlem-Judæ, Tu non es vilis habenda,
Non Tua sors levis est, non Tibi parvus honor;
Dum mihi *Progenies* ex Te est oriunda decora,
Progenies totâ in quæ urbe vel orbe nitet!
Dum mihi suppeditabis Eum, qui robore Regnum
Fulciet & Populos qui ratione reget;
Qui

Qui subiget totum immensis sibi viribus orbem,
Et qui perpetuus *Dux* Israëlis erit.
Mox ait *Herodes* simulans astumq;, premensquè
Corde suo virus, nil nisi dira parans;
Ite *Viri*! quò *Fata* volunt, quò *Numina* poscunt,
Ite-redite, mihi dicite vila etiam:
Ut veniam videamquè novum *Regem*, utq; rependam
Commeritas laudes, ut mea dona feram!
Quærite, quæsitum excipite, exceptumq; vocate
Supplicibus Votis, Mente Manuq; piâ.
Sic memorabat: at haud æqualia corda fuêre
Verbis, haud voluit, quæ modò dixit, item;
Scilicet est mel in ore, fel est in corde, vel immò
Fraus factis, factis sunt ubi verba, subest:
Scilicet èt Gorgon latet, ét pharisaica Turba
Ludit, & haud aurum, quod micat, est solidum.
Quippe Fides vidua est, malefida, vides, fiet hæc quòd
O Homò rara? ergò FIDE, sed ante VIDE.
Post hæc exierant portis ubi stella cucurrit
Insolitum Lumen lapsa polo referens:
Quam subitò agnovêre Magi, ductumq; secuti
Tandem intrant ædeis quas super astiterat;
Intrant, inveniunt *Infantem*, & *Numen* adorant
Devoti, sua dant munera, & exsiliunt.
Munera munifici donabant, scilicet *Aurum*
Aurum, quo veteres enituêre Duces;
Thura dabant redolentia, quæ prædivite vena
Mittit Arabs, quæ Panchaia tota probat:
Nec-non assyrio lacrymatas cortice *Myrrhas*
Ponè dabant, queis non ulla putredo nocet.

JESULE mî Tibi quæ mea MENS, quæ munera pendet?
Munera de pura MENTE profecta dabit,
Quippe nitens AURUM FIDEI, THURISQUE vigorem
In PRECE, dein MYRRHÆ sub CRUCE lacrymulas.
Ecce sed in somnis *Domini sacer Angelus* adstat,
Atquè *Magis* aliam monstrat inire viam;
Monstrat, & hortatur neu sævam Regis ad aulam
Tendere, neu vellent retrò referre gradûs:
Quod postquam novit *Rex* impius atquè dolosè
Delusum sese vidit, alit rabiem,
Stat mactare puellorum florem, atquè tenella,
(Infandum!) rigidâ perdere membra manu;
Instat cæde, cruore madent Bethlemica passim
Compita, funeribus tota natat Regio:
Sternitur & bimus, & trimus sternitur Infans:
Quem dedit alma Dies, abstulit atra Dies!
Immò cui vix mensis erat, vix primulus ortus
Vellitur, heu *Matris* vellitur uberibus!
Non Pietas Regem, tenerum non commovet ævum,
Heu lacrymas *Mater* non laniata movet!
Vah glaciale cor, & cordis vah Caucasus horrens!
Aut magis obseptum cor triplici chalybe!
Quæ getula Tygris genuit Te? quæve Leæna
Admovit labris ubera dira Tuis?
Quæ Te dura silex schyticis eduxit ab antris?
Quæ *Dea* Te siculis expulit atra fretis?
Scilicet impletum est, quod Vates dixerat olim
Quod per Eum tore prædixerat ipse Deus:

Clamor

Clamor ut in tetricis edatur montibus ingens,
Ut feriat fletus sydera; saxa sonent:
Ut *Rachel*, heu miseranda *Rachel* sua timpora fœdet
Fletibus, occisos defleat ut *pueros*;
Ah niveos flores! ah candida corda *Puellos*!
Corda nimis cari ponderis exsuvias!
Ut pacto possit non consolarier ullo,
Sic quia res, quia spes omnis adempta jacet:
Ardua continuis igitur ciet astra querelis,
Non prece, non lacrymis mota dolorificis.
Judicet interea DOMINUS, DOMINUSq; requirat
Hoc scelus; hoc factum, ad quod simul Astra tremunt:
Ultio quippe Dei est, & ἔχει ΘΕΟΣ ἔκδικον ὄμμα,
Improbe pœna prope est, cùm procul esse putas.
Tu tamen adde fugam Mundi justissima cura,
Iesule, ceu cœlo Nuncius ipse jubet;
Ceu jubet *Herodes*; ceu postulat ira Tyranni,
Et ceu *Natorum* corpora cæsa jubent:
Adde fugam cum *Patre* pio, cum *Matre* venusta;
Est mora plena mali, plena vel hora necis.
Fata viam invenient! devotaq; *Vota* sequentur!
Præstò Tibi Numen, præstò aderunt Superi;
Præstò *Tibi* Angelicæ magno sunt agmine Mentes,
Sunt vigiles semper, sunt pedibusq; pedum:
Sunt & erunt cynosura viæ, ne passibus erres
Ambiguis, quicquam neve retardet iter.
Est *Pater* in cœlis, qui cæpta nefanda Tyranni
Impedit, & fraudes qui reprimit reprobos;

 Haud


Haud secus ac frangit quæ finxerat antè rotando,
De fragili figulus concava vasa luto:
Haud secus àc Domitor luctantia cölla retorquet,
Et cohibet cursum quadrupedantis Equi;
Sic ponit metas Hominum furialibus ausis
Jováh, nec ad lubitum nequiter ire sinit:
Novit enim gressûs, placidè cursusq; PIORUM
Dirigit, Innocuis est bonus & placidus!
Novit iter, sensusquè tenet, custosquè fidelis
Permanet, alma siet SORS, mala sive siet.
Quod proponit HOMO, DEus hoc disponit, & author
Adjuvat, aut osor præpedit omnigena.
Eja igitur mecum Vos ô Juvenesquè senesquè!
Eja agite! & *Jesum* tollite laude pia;
Tollite laude! novum celebrate-sonate *Puellum*,
Delitium vestrum, vestra erit ille *Salus*!
Sic decet, & sic commeruit VERBUM CARO FACTUM,
Sicquè coli vult, qui factus *Homo Deus* est.
Plaudite nunc *Christo*! venienti pandite portas,
Pandite! *Rex* noster jam venit, ecce venit:
Currite in occursum, venienti occurrite *Regi*;
Omne malum procul hinc, hinc procul omne nefas.
Descendant colles, conscendant undiq; valles,
Semita recta fiet, sit via strata Duci.
Gaude *Jerusalem*, Tu filia sancta *Sionis*
Gaude! sponsus adest sponsa venusta Tuus.
Sponsus adest, Teteq; petit, Tete unicè anhelat!
Hunc modo Tu sponsum respice sponsa Tuum.

En

En nunc Tempus adest felix, Tu noscito tempus,
En patet & ridet gratia mira poli.
Sed Sponsum gemebunda vocat, gemebunda cupiscit
Filia sponsa *Sion*, sponsaq; *Jerusalem*;
Currit, & occurrens expansis excipit ulnis
Iesulum, amat, refovet cordis in hospitio!
Spargit humi flores, colocasia fundit acantho
Mixta, dat & plenis lilia cum calathis:
Sponte venit, veniamq; petit, vice muneris offert
Sponsa suo sponso *Pectus* amore calens,
Cor purum, cor contritum, cor sanguine tinctum
CHRISTI, vi cujus puta triumphat humi!
Ejaage Tu mea *Mens*, cunas age vise recenteis
Christi, abi! ubi pleno Gratia fonte fluit:
Gratia per cirros volitans, radiosq; nitentes,
Quæ jacet in tenero Gratia rara thoro.
Exemplum Tibi Pastores, Tibi triga Magorum
Suppeditat, quorum jam comes esse potes;
Stella micat, *Lux* alma vocat, *Lux* magna sub antrum
Bethlemicæ rupis Te jubet ire citò:
Rumpe moras igitur, carmen modulare *Puello*
Blandum, fac resonet nænia, næniola.
Dic *Puer*, ô mellite *Puer!* feliciter auras
Ætherias hauri, dum aurea secla refers;
Magne *Puer!* nam Te veniunt veniente Calendæ;
Te veniente *Annus* purior ecce venit!
Nate Dei! cum *Natali* renovatus adest sol,
Atq; novas capiunt Terra vel æthra vices:
En Tibi prænitido Taurus nunc fulget ab ortu,
En Tibi veris honos, ecce renidet humus!

En

En tibi naſcenti gratantur & omnia *Regi*,
Omnia ſunt ſenſu lætificata novo.
Non morbi, non ulla cohors, non Turba malorum
Impedient cunas, belle *Puelle*, Tuas;
Non adſpirabit lethalem vipera ſuccum,
Non Boreas, non hirſuta nocebit hyems;
Non bellator Equus, non dira minabitur Hoſtis,
Nullus erit clypeus, nullus in orbe dolus.
Sed mea *Mens*, mea *Mens* hymnum meditata ſequentem
Vult ſanctum cunis, *Ieſule* ſancte, Tuis!
Στέργε παρόντα PUER! PUERIS placabilis ætas
Eſt, faciles motûs MENS PUERILIS habet:
Sume libens, audiquè licens mî *Ieſule* verba
Paucula, quæ laudi *Mens* meditata Tuæ eſt.



HYM

HYMNUS AD IMMANUELEM RECENS NATUM, INventorem Gratiæ, Redemptorem vitæ, Impetratorem veniæ!

PARS PRIMA.

OMni Die, dic MESSIÆ
Mea laudes Anima;
Ejus Festa, ejus gesta
Cole devotissima,
Contemplare & mirare
Ejus celsitudinem;
Dic beatum Dei Natum,
Dic desiderabilem.
Ipsum cole! ut Te mole
Peccatorum liberet;
Hunc appella, neu procella
Vitiorum superet:
Hæc PERSONA, Tibi dona
Contulit cœlestia:
Hic PATRONUS, mirè bonus
Cuncta dat ex gratiâ.
Lingua Mea dic tr~~o~~phæa
CHRISTI DEI-HOMINIS;
Qui inflictum maledictum
Miro transfert germine:
Ne silesce, sed assuesce
Ferre laudum cantica.
Ejus Bona semper sona,
Semper illa prædicas
Omnes mei sensus Et
Personate gloriam.

Frequentare tàm beatæ
SOBOLIS memoriam;
Nullus certè tàm disertæ
Exstat eloquentiæ;
Qui condignos promat hymnos
Ejus Excellentiæ.
Omnes laudent, unde gaudent
CHRISTUM natum HOMINEM;
Nullus fingat, quod attingat
Ejus magnitudinem.
Sed necesse (quod prodesse
Piis constat Mentibus.)
Ut intendam, quod impendam
Me illius laudibus:
Quamvis sciam, quod MESSIAM
Nemo dignè prædicet;
Tamen vanus & vesanus
Est, qui illum reticet.
Cujus vita erudita
Disciplina cœlica;
Argumenta & figmenta
Dispulit hæretica:
Cujus mores tanquam flores
Exornant Ecclesiam.
Actiones & sermones,
Miram præstant gratiam.

D Eva

[illegible] cunctis limen
Paradysi clauserat;
Christi [illegible] genitura
Cœli claustra reserat.
Propter Evam Homo sævam
Accipit sententiam;
Per Messyam habet viam
Quæ ducit ad Patriam:
Hic amandus & laudandus
Cunctis specialiter;
Venerari prædicari
Eum decet jugiter.
Ipse donet, ut quod monet
Promptus semper faciam,
Ut finita Carnis vitâ
Lætus hunc adspiciam.

SECUNDA PARS.

O Cunctorum Filiorum
Decus atq; Gloria;
Quem [illegible]
Scio super omnia:
Clemens audi Tuæ laudi
Quem intentum conspicis,
Munda Reum, & fac eum
Donis dignum cœlicis;
Virga Jesse, spes oppressæ
Mentis, & refugium:
Decus Mundi, [illegible]
Peccatorum [illegible]
Vitæ forma, morum norma
[illegible] pectoris;
Christe templum & exemplum
Totius Justitiæ:
Christe [illegible]
Cœli patent miseris,

Qui est [illegible]
Verbum æterni Patris.
Qui destruxit & reduxit
[illegible] malum;
Qui formosus animosus
Est Siloh, & est Gigas:
Gemma decens, Rosa recens
Castitatis lilium:
[illegible] ad polorum
Qui perducit gaudium.
O Salvator, atque dator
(Omnis boni) [illegible]
Actionis & [illegible]
Vireis [illegible]
Ut Tuorum [illegible]
Laudes [illegible].
Opto nimis [illegible]
Des mihi [illegible];
Ut decenter & frequenter
Tuam cantem gloriam:
Quamvis muta & polluta
Mea sciam labia;
Tamen [illegible]
De Tuis [illegible].
P[illegible]
Est de tua gloria;
Christe gaude [illegible]
Major & [illegible]
Qui d[illegible]
[illegible];
Semper [illegible]
[illegible]
Semper [illegible]
Vita [illegible].
Cujus flore & [illegible]
Recre[illegible];

Cujus morte, dura forte
Liberatum me credo.
Cujus talis libertatis
Facies adspicitur;
Pulcra tota, sine nota
Cujuscunque maculæ.
Iesu chare, Te laudare
Digne possim, ita rogo!
O beate Dei Nate!
Nova portans gaudia:
Per Te Mundus lætabundus
Novo fulget lumine;
Antiquarum tenebrarum
Exutus caligine.
Nunc potentes sunt egentes,
Sicut Mater dixerat;
Nunc egeni fiunt pleni
Hæc ut prophetaverat.
Per Te iniquorum & pravorum
Delinquuntur devia:
Doctrinarum perversarum
Pulsa fuit deliria.
Mundi luxum, ô quam fluxum!
Tu nunc doces spernere;
Deum quæri, carnem teri
Vitiis resistere.
Mentis cursum tendi sursum
Pietatis studio:
Corpus angi, motus frangi
Cum sacrato Spiritu.
Tu es via quæ ad dia
Cœli Nos fert atria;
Tu priorem ad decorem
Nos reformas, & Tuo
Patri gratos ac placatos
Sistis ad latus suum.

Tu Rex Regum atque rerum
Es Creator omnium;
Tua cura Creatura
Est humana perpetim.
Benedictus per quem victus
Mortis est aculeus!
Destitutis spes salutis
Tu es, indulgentiæ
Certus author, atq; fautor
Es afflictæ Animæ!
Benedictus & invictus
O Rex Christe crederis;
Dei Natus incarnatus
(Una Salus) diceris.

TERTIA PARS.

Reparator Consolator
Desperantis Animæ!
A pressura quæ ventura
Olim est, me redime:
Pro me pete, ut quiete
Sempiterna perfruar.
Patrem ora & implora
Advocate cœlice!
Ne tormentis comburentis
Stagni, miser obruar.
Quod requiro, quod suspiro,
Mea sana vulnera:
Et da Menti Te poscenti
Gratiarum munera.
Ut sim mœstus & modestus,
Mente blandus, sobrius;
Pius, rectus, circumspectus,
Simultatis nescius.
Eruditus & munitus
Divinis eloquiis;

Timo

Timoratus & ornatus
Sacris exercitiis:
Constans, gravis, & suavis
Benignus amabilis.
Simplex, purus, & maturus;
Patiens & humilis.
Corde prudens, ore studens
Veritatem dicere:
Malum nolens, DEUM colens
Pio semper opere.
Esto Tutor, & adjutor
Christiani populi;
Pacem præsta, ne molesta
Me perturbent sæculi:
Salutaris qui vocaris
Summis digne laudibus!
Qui præcellis cunctis stellis
Atque Luminaribus;
Tua dulci prece fulci
Me, & ægrum refove:
Quicquid gravat vel depravat
Mentem meam, remove.
O MENS gaude! quod de fraude
Dœmonis es libera;
Dum & vero & sincero
Es Amore prædita:
Illibata-depurata
Es divino SPIRITU;
Et repente tua MENTE
Fis sacrarium Dei!
O nunc plaude, & in laude
Gens humana permane,
SALVATOREM, & *Pastorem*
Hunc agnosce liberè;
Hæc jam FESTA *Sacra*, gesta
Magna psallens concine,

Dic ô CHRISTE! omne triste
Sustulisti hoc Tuo
Partû sacro, & lavacro
Abluisti me mero;
De peccatis, salvum gratis
Omnibus me faciens:
Commendare *Tu* dignare
Porrò me PATRI Tuo;
Ut non cadam, sed evadam
De Mundi naufragio.
Fac me mitem, pelle litem,
Compesce lasciviam:
Contra crimen da munimen,
Et *MENTIS* constantiam.
Ne me liget & fatiget
Sæculi cupiditas;
Quæ indurat & obscurat
MENTES sibi subditas.
Nunquam ira, nunquam dira
Me vincat elatio;
Quæ multorum fit malorum
Frequenter occasio
Ora *PATREM!* ut me *Fratrem*
Societ olim Tibi;
Ora *DEUM!* ut cor meum
Servet benignè sibi;
Ne antiquus Inimicus
Seminet Zizania.
Da levamen & juvamen
Tuum hisce jugiter;
Qui hæc *FESTA*, sive gesta
Celebrant alacriter:
Qui Te sine omne fine
Orant, implorant! Amen.

Δόξα μόνῳ τῷ Θεῷ.

Timoratus & ornatus
Sacris exercitiis:
Constans, gravis, & suavis
Benignus amabilis.
Simplex, purus, & maturus;
Patiens & humilis.
Corde prudens, ore studens
Veritatem dicere:
Malum nolens, DEUM colens
Pio semper opere.
Esto Tutor, & adjutor
Christiani populi;
Pacem præsta, ne molesta
Me perturbent sæculi:
Salutaris qui vocaris
Summis digne laudibus!
Qui præcellis cunctis stellis
Atquè Luminaribus;
Tua dulci prece fulci
Me, & ægrum refove:
Quicquid gravat vel depravat
Mentem meam, remove.
O MENS gaude! quod de fraude
Dœmonis es libera;
Dum & vero & sincero
Es Amore prædita:
Illibata-depurata
Es divino SPIRITU;
Et repentè tuâ MENTE
Fis sacrarium Dei!
O nunc plaude, & in laude
Gens humana permane,
SALVATOREM, & *Pastorem*
Hunc agnosce liberè;
Hæc jam FESTA *Sacra*, gesta
Magna psallens concine,

Dic ô CHRISTE! omne triste
Sustulisti hoc Tuo
Partû sacro, & *lavâcro*
Abluisti me mero;
De peccatis, salvum gratis
Omnibus me faciens:
Commendare *Tu* dignare
Porrò me PATRI Tuo;
Ut non cadam, sed evadam
De Mundi naufragio.
Fac me mitem, pelle litem,
Compesce lasciviam:
Contra crimen da munimen,
Et *MENTIS* constantiam.
Ne me liget & fatiget
Sæculi cupiditas;
Quæ indurat & obscurat
MENTES sibi subditas.
Nunquam ira, nunquam dira
Me vincat elatio;
Quæ multorum fit malorum
Frequenter occasio
Ora *PATREM*! ut me *Fratrem*
Societ olim Tibi;
Ora *DEUM*! ut cor meum
Servet benignè sibi;
Ne antiquus Inimicus
Seminet Zizania.
Da levamen & juvamen
Tuum hisce jugiter;
Qui hæc *FESTA*, sive gesta
Celebrant alacriter;
Qui Te sine omne fine
Orant, implorant! Amen.

Δόξα μόνῳ τῷ Θεῷ.